Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3149
Quelle:
Copyright:

SS. continet. *Gregorium Maurum* inter fabulas ablegandum putem. Qui *Valentinianus Vngarorum Rex* dicatur, non video, nisi quod Primus hujus nominis *Cibalis* in *Pannonia* natus, Secundus vero *Aquinci* Imperator proclamatus fuit. Principis cujusdam κτημα Librum hunc precatorium fuisse liquet cum ex Oratione *fol.* 7. *Queso omnipotens deus, ut ego famulus tuus qui de tua miseracione suscepi principatus gubernacula* &c. tum ex alia *fol.* 24. p. 2. *auxiliare queso michi famulo tuo populoque mihi subiecto* &c. Hunc vero Principem ad Stirpem *Austriacam* pertinuisse, credibile fit partim ex Oratione *de Sancto Morando comite de habspurg*, partim ex invocatione aliorum *Austriae*, *Bohemiae*, *Hungariae*que Indigetum. Cum porro Spiritus, ut ita dicam, *Equester* per totum non obscure se prodat, vix errabit, qui *Maximilianum* potius, quam *Fridericum* Patrem possessorem dixerit.

DCCCCVIII.

683 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 99. 4. luculente scriptus, rubricis distinctus, decemque Picturis auro speciosis materiaeque accommodis ornatus offert primo, ut solet, *Calendarium*, in quo ad 3. Sept. *Mansuetus Ep.* ad 1. Oct. *Remigius* minio scribuntur. Sequuntur Preces ad B. V. Initia Evangeliorum *Lucae* et *Johannis*, relicto pro reliquis spatio, tum Officium B. V. quod vocant, minus, Psalmi Poenitentiales, Litaniae de OO. SS. inter quos *Gengulphus*, *Deodatus*, *Aper*, *Vedastus*, *Apronia*, *Libaria*, Officium Defunctorum, et Horae de Cruce, in quarum fronte Pictor imaginem imperfectam destituit.

DCCCCIX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 124. 4. eleganter exaratus, et praeter Margines complures, Literasque initiorum auro coloribusque illustres, Picturis 12. e novo Testamento maximam partem depromtis conspicuus, *Precatorius* est, continetque Horas S. Crucis, S. Spiritus, Missam de B. V. M. Variorum Sanctorum Commemorationes, Horas de B. V. M. et Officium per Adventum, Psalmos Poenitentiales, et Mortuorum Vigilias. Pictura SS. Trinitatis *fol.* 75. Scuta gentilitia bina Crucem Ordinis *Hispanici* de *Calatrava* praeferentia exhibet, et Picturae *fol.* 97. Mortuorum Vigiliis praefixae adjectum est Lemma: *Aspice Morta.* et: *Mori Convient D Ausonu.* Unde suspicio, Libellum scriptum, pictumque jussu cujusdam ex illustri Stirpe *de Giron* Ducum *de Osuna* sive *Ausona*, eo magis, quod refert *Nobiliarium Hisp.* et ex eo *Imbofius* in *Corp. Hist. Geneal. Ital. et Hisp.* p. 137. a *Johanne* quodam hujus Stirpis Sacello *Ausonae* extructo inscriptum fuisse: *Si vivere pulchrum est, mori utile est. Si el vivir es hermoso,* 734